

PERORATIO THEOLOGIÆ.  
Vniuersæ.

CVM Deo ad finem perduximus totum sacrosanctæ  
Theologiæ corpus: in quo Praeognita tractant de natura  
& studio hujus augustissimæ facultatis: *Theologia naturalis* sup-  
peditat gradus ascensionis mentis è notitia creaturarum ad  
Deum creatorem: *Theologia Catechetica* explicat fundamenta  
Christianismi: *Theologia didactica* locos communes enarrat:  
*Theologia polemica* controversias explicat: *Theologia casuum* cō-  
scientiam in tranquillo ponit: *Theologia Prophetica* docet mo-  
dum ædificandi populum Christianum: *Theologia denique*  
*Acromaticæ* populum Christianum instruit, vt recte se gerat  
quantum ad conciones & politiam sacram. In quibus parti-  
bus tradendis ita versati sumus, vt hæc tria nobis habuerimus  
proposita. Primo conati sumus lumen methodi præferre in-  
genijs methodicis. Deinde studuimus plene tradere illa, quæ  
pertinent ad eruditionem Theologicam. Denique studium  
pietatis accédere & fouere vnicæ nobis proposuimus. Quod  
restat, Deum oramus, vt veritatem doctrinæ suæ illibatam a-  
pud nos conseruet, nobisque det currere bonum illum cur-  
sum fidei & bonæ conscientiæ, vt discamus eā in his terris,  
quorum scientia nobis perseveret in cœlis, & ea agamus in  
hac militia, quorum corona nos expectet in patria, vbi erit  
scientia sine disciplina, triumphus sine bello, lætitia sine ge-  
stu, & omnia in omnibus, non ab omnibus, sed ab uno, qui est  
ante omnia, in omnibus, post omnia, totus, unus, ipse,  
cui sit laus, honor & gloria in omne ævum,

Amen.

GRATIAS TIBI DOMINE JESU.

Gggggg

INDEX